

Jakob Carmon

Viri Nominis immortalis maximorumque meritorum ... Domini, Dn. Johannis Joachimi Schoepfferi, Juris-Consulti Consummatissimi, Serenissimi Ducis Mecklenburgici Regnantis Consilarii Intimi ... Publico Hocce Programmate, solenniter indicit, atque Memoriam illius perpetim recolendam Proceribus Pariter Atque Civibus Academicis studiosissime commendat

Rostochii: Typis Joh. Wepplingi[i], [1719?]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn179747331X>

Druck Freier  Zugang





Circa 80 Protokolle Privatrecht-Programme,
meist Forderungen in dazujen bürgerl. Familien betr.

(Zinsverträge in nobilitierten Familien:


Nettelblatt, Preen, Quistorp, Schoepffer, Schuckmann
i. d. R.)

82 Stücke

Mk1b Gen - 40
2/3 II

9/1
Hain.
1833.





1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30


Leichenprogramme, alphabetisch geordnet
nach d. Namen d. gefeierten Person, nebst Sterbejahr.

L - Z

1. Quistorp, Anna Christina, geb. Lenthe. 1753
- 2/3. Luger, Johann Georg. 1748.
4. — — — (Vater). 1751.
5. Mantzel, Kaspar. 1735.
6. — , Maria Justine Margarete. 1742.
7. Schweder, Margarethe, geb. Meyer. 1728.
8. Neusling, Catharina Margareta verh. Pries. 1733.
9. Michelsen, Andreas. 1730.
10. Becker, Catharina Elisabeth, geb. Michelsen. 1744.
11. Michelsen, Christoph Andreas. 1746.
- 12/13. Jaddel, Elsabe Dorothea, geb. Michelsen. 1745.
14. Müller, Karl Ludwig. 1761.
15. Nettelblatt, Heinrich [Vater] 1735.
- 16/17. — — — [Sohn] 1761.
18. Neucranz, Anna Margareta. 1726
19. Niehenck, Joh. Balthasar. 1738.
20. Niemann, Johann. 1746.
21. — , Michael. 1729.
22. Oerthling, Joachim Felix. 1745
23. Meyer, Anna Maria, geb. Pauli. 1738.
- 24/25. Engelsen, Maria, geb. Pansen. 1738.
26. Petersen, Johann Christian. 1766.
27. Pohn, Wilhelm. 1751.
- 28/29. Pries, Joachim Heinrich. 1763.
30. Quistorp, Hugo Theodor. 1732.
- 31/32. — , Johann Jakob. 1767.
33. — , Lorenz Gottfried. 1743.
34. — , Johannes Christian. 1722.

35. Ressor, Julius Friedrich. 1740
36. Redeker, Heinrich Rudolf. 1716.
37. Richter, David. 1753.
38. Danckwarth, Catharina Emerentia geb. Schaeffer. 1737.
- 39/40. Schaper, Johann Ernst. 1721
41. Scheffel, Heinrich Gustav. 1738.
- 42/43. Schmidt, Jonas. 1745.
- 44/45. Schoepffer, Johann Joachim. 1719.
46. Schuckmann, Heinrich. 1706.
47. Dörcks, Margaretha, geb. Schuckmann. 1731.
48. Schmidt, Isabe Margaretha, geb. Schwabe. 1743.
49. Zeidler, Anna Emerentia, geb. Schwartz. 1729.
50. Senst, Agneta Sophie, 1729.
51. — Hermann Peter. 1728.
- 52/53. Sibeth, Karl. 1734.
54. Sivers, Jakob. 1729.
55. Luger, Christine Elisabeth, geb. Spalding. 1746.
56. Spalding, Johann David. 1757.
57. — Thomas. 1743.
58. Burgmann, Anna Christina, geb. Stein. 1773.
59. Stein, Walthier. 1739.
60. Stever, Johann Kaspar. 1729.
61. — , Johann Valentin. 1755.
62. — , Theodor Mattheus. 1735.
63. Stieber, Georg Friedrich. 1755.
64. Wetken, Catharina Margareta, geb. Stindt. 1743.
65. Stolte, Christian Rudolf. 1680-1731.
66. — — — 1711-1736.
Heinrich Christian. 1715-1736.
67. — , Peter. 1733.
68. Töppel Margareta Catharina; verh. Oldenburg. 1774.

69. Verpoorten, Theodor. 1728.
70. Weiß, Margaretha Agnes, geb. von Heidenkopf. 1726.
71. Weidner, Johann Joachim. 1732.
72. Weiß, Gottfried. 1697.
73. Wetken, Johann Georg. 1716.
74. Wilde, Joachim. 1737.
75. Weidner, Johann Joachim. 1732.
76. Barnstorff, Anna Margaretha, geb. Willebrand. 1724.
77. Willebrand, Martin Albert. 1746.
78. Stein, Anna Dorothea, geb. Wolff. 1744.
79. Wolfraath, Dietrich Samuel. 1753.
80. Wulf, Catharina Margareta, verh. Stein. 1734.
81. Zaidler, Johannes. 1727.
82. Zinck, Johannes. 1732.



44.

VIRI
Nominis immortalis
maximorumque meritorum,
Per - Illustris atque longe Excellentissimi
DOMINI,
DN. JOHANNIS
JOACHIMI
SCHOEPPFERI,

Juris-Consulti Consummatissimi,
Serenissimi Ducis Mecklenburgici Regnantis
Consilarii Intimi, ut & Cancellariæ ac Consistorii
Ducalis Directoris gravissimi,
Academiæ Varniacæ Antecessoris Celeberrimi,
FCtatis Jurid. Senioris Venerandi,
& Comit. Palat. Cæsar. fulgidissimi,

Obitum

universo Literatorum orbi

luctuosissimum,

PUBLICO HOCCE PROGRAMMATE,

solenniter indicit,

atque

Memoriam illius perpetim recolendam
PROCERIBUS PARITER ATQUE CIVIBUS
ACADEMICIS

studiosissime commendat

JACOBUS CARMON,

J. U. & PHIL. D. PAND. PROF. DUC. P. O. CONSISTORII

DUCAL. MECKLENBURG. CONSILIAR.

HACTENUS ACADEMIÆ

RECTOR.

ROSTOCHII, Typis Joh. Wepplingi, SERENISS. PRINC. & ACAD. Typogr.



VIRI
Nominis immortalis

Uctus non exigui causam A-
cademiæ nostræ, ac in ea cum primis Juris-
Consultorum Ordini, nonus superioris Anni
mensis, quem Septembrem dicimus, affere-
bat: idemque ille, annuo ab inde spatio, una
cum triduo, elapso, Facultati Juridicæ, quin
& universæ nostræ Universitati denuò fune-
stus exstitit, novam illi lugendi, lugubrique
commentatione defungendi nobis materiam
dans atque occasionem. Aufferebat iste Collegii nostri Juridici tunc
Seniorem, & nunc jam iterum istud suo se Seniore à Septembri
orbatum vidit. Antecessori tunc suo ultimum, quem demor-
tuis mortales exhibere valemus solemusque, honorem exhibi-
turus, Funebri Programmate parentabat in Senioratu Facultatis
Successor, eaque tempestate Decanus; & huic jam iterum hoc
quicquid est supremi honoris exhibendum à nobis est, posteritati, si
quæ futura, illius memoriam commendaturis. Sic anno vix dum
completo, bis Academia nostra Professorum de se longè optimè
meritorum, quorum immortalis apud eam memoria erit, funera
videt: bis Collegium JurisConsultorum non solum, quod è præ-
stantissimis, membrum amittit, sed & Senioris sui jacturam de-
plorare habet. Nondum cicatrix obducta vulnere est, quod ob-
itus Consultissimi Jcti STEINII, corpori nostro, non sine acer-
bo dolore inflixerat ante hunc annum, & ecce! ut cuneus cune-
um, ceu in proverbio est, trudit, sic vulnus vulnere, dolori su-
peradditur dolor. Nil enim quidquam est, quod majorem dolo-
ris luctusque causam Musis afferre aut Academiis potest, quam si
Doctoribus suis eruditione solidâ claris, experienciâ multâ refertis,
exactâ prudentiâ præditis, indefesso labore bene de se meritis, hinc-
que famam ac celebritatem nominis in orbe adeptis, privantur.
Quò plus autem damni, posteaquam permulta illis commoda attule-
re, illorum ex abitu Academiæ perferunt, eò plus curarum
ipsas impendere decet, ac humanitas, qua homines sibi invicem
obstringuntur, jubet, ut memoriam Professorum suorum conser-
vent, ne viventes solum ob eximia merita honoribus cumu-
lare videantur, sed defuncti etiam penes posteros laudis ac immor-
talitatis gloriam retineant atque honorem. Legimus, Vete-
ribus, Græcis pariter atque Romanis, non inusitatum fuisse, Pro-
fessoribus & de publica re studiosam juventutem instituendo bene
meritis Viris statuas locare ac consecrare, cujusmodi exempla, cui
volupe fuerit, videri possunt apud PETR. GREGORIUM,
THOLOZANUM à Patria dictum, *de Republ. Lib. XIII Cap. III. §. 6.*
Ecquis igitur vitio nobis vertet, cum, ex gratitudinis lege, quam
omnes obligare nemo inficiabitur, defunctorum nostrorum Pro-
fessorum, quorum ingentia in publicam rem literariam nostram
merita non nobis solum nota sunt, sed exterorum etiam omnium-
que

que ferme orbem inhabitantium oculos feriunt, laudes non retice-
mus, memoriam illorum, dum Statuis eosdem honorare non licet,
scripturâ immortalem reddere conati? Quod si enim in proverbium
penè abiit dictum: Virtutem & in hoste laudandam esse; quis
defunctis convenientes & ex merito debitas laudes invidet? Quid
prohibet, merita illorum describi ac enarrari? Utinam verò! Aca-
demiâ nostra non iterum iterumque causam haberet obitum eximi-
orum suorum Professorum lugendi, deque vita illorum adeo fre-
quenter commentandi, cujusmodi nova rursus inopinatio nobis data
occafio est. Vidit illa, octo annorum intra spatium, novem Profes-
sorum Celeberrimorum funera, quorum venerata virtutes atq; merita
erat, quibus jam nunc decimum (denarius alioquin completus
haberi numerus solet, utque in hoc ipso complures insecuturos per
annos completus sit maneatque, Summus vitæ necisque Arbitrator
faxit!) addere necessum habet. Obiere enim & hinc abiire: Anno
MDCCXI. Orator Academiæ, D. TIELCKE; Anno MDCCXII.
GRUENENBERGIUS, Theologus, & HILTEBRANDUS, Lo-
gicus; Anno MDCCXIII. GRAPIUS, Theologus; Anno M
DCCXIV. HABERMANNUS, Medicus, ut Magnificus Rector,
antequam sceptrum deponeret, vitam deponens, & QVISTORPIUS,
Theologus; Anno MDCCXVI. FECHTIUS, Theologus; An-
no MDCCXVII. MULLERUS, Jctus; Anno MDCCXVIII.
STEINIUS, Jctus; quos secutus hoc decurrente Anno est
SCHOEPFFERUS, & ipse Jctus. Haud recordamur, tam bre-
vi temporis spatio adeo vehementer in corpore Doctorum Aca-
demicorum mortem, rapacissimam vitæ prædatricem, grassatam fu-
isse, aut Collegium Juris Interpretum dimidiam sui partem, idque
triennio succedente, mutilum sese vidisse: ut itaque non sine causa hæc
nobis memoranda tempora videantur. Et qui non memoranda?
Mox etenim in eo nos futuros speramus, ut, quod, justas satis-
que prægnantes ob causas, hæcenus dilatatum oportuit, tertium
Universitatis nostræ Jubilæum celebrandum apparemus: & fu-
nera fere Professorum nosmet circumstant, quorum non sine
doloris acerbitate meminisse datur. Itane gaudia nostra dolore,
læticia luctu, júbila lugubri cantu permiscenda videntur? Sed
providit, hæcenus, quæ immensa ejus erga nos gratia est, rebus no-
stris, ac in posterum quoque, speramus atque vovemus, provide-
bit, quod cuncta hæc dirigit, Altissimum Numen. Nostrum interim
officium manet, merita Prædecessorum mentis gratitudine non
agnoscere solum, sed & prædicare, memoriamque illorum, quan-
tum in nobis, posteritati commendare, quò & alii sui ingenii ner-
vos intendant, de Republicâ Literariâ ut bene mereri possint. Et
hoc ultimum humanitatis officium nunc exhibere non dubitamus,
quem novissime mortem Academiæ nostræ invidisse ac abstulisse,
insinuavimus, Viro Per Illustri quondam, Excellentissimo ac Juris
Consultiss., Domino, **DN. JOHANNI JOACHIMO**
SCHOEPFFERO, Jcto Consummatissimo, Serenissimi
A: Ducis

Ducis Regnantis Mecklenburgici, Domini nostri Clementissimi, Confiliario Intimo, Cancellariæ item ac Consistorii Ducalis Directori Gravissimo, Academia Varniacæ Antecessori Celeberrimo, Amplissimæ Facultatis Juridicæ Seniori Venerando, & Decano Spectabilissimo, Comiti item Palatino Cæsar. Fulgidissimo, cujus tanta in Academiam nostram & rem literariam merita exstant, ut nulla eadem temporis diuturnitas obliteratura, nulla deletura oblivio sit. Quæ antequam recenseamus, dispiciendum prius veniet, qua ratione eas sibi acquisiverit dotes, ut ista præstare valuerit. Quapropter & in ortum ejus, & educationem, universumque Studiorum cursum inquirendum erit. De quibus equidem jam olim egit, qui aliorum vitas describendo sui ipsius simul memoriam posteritati consecravit, Theologus percelebris, ac, cum diem obiret suum, totius Universitatis hujus Senior, D. ANDR. DAN. HABICH-HORSTIUS, *Rostoch. Literat. Ord. 1. Sect. 1h. num. 5.* Sed vero, cum longè plura istis addenda supersint, pleniorẽ vitæ magni hujus Viri historiam heic legere lectoribus non ingratum fore, arbitramur, ut igitur & ista olim licet descripta repetituri simus. Quod operis aggressuri, ut magnis ac plane excellentibus istius donis explicandis digneque concelebrandis simus, veriti, mællemus equidem, aliis dicendi scribendique facultate excellentiori pollentibus hanc spartam demandatam fuisse: ast cum officii ratio hoc nobis officium imponat, isti deesse nolumus, pictores imitaturi, qui, quod exactè satis repræsentare desperant, vel velo obducere, vel umbratili duntaxat colore depingere solent.

Quod si ex semine de fructu, & ex surculo de arbore futurâ recte judicium fertur: haud omnino vanum à Parentibus de filiis, & à pueris juvenibusque de futuris viris capiendum augurium erit. Et quanquam minime nos fugiat, quam fallax istud, quam sæpe etiam frustratum augurantes sit; non tamen semper hujusmodi hariolationes fellere. Certè in SCHOEPPFERO non frustratas easdem fuisse, abunde docuit experientia. Patrem quippe, non obscuri nominis JCtum, Filius sic æmulatus fuit, ut fama eidem non æqualis, sed superior ipso fuerit factus. Contigit autem ipsi, divina sic volente directione, prognasci abs Genitore Præ-Nobiliss. Ampliss. ac Consultiss. Viro, Domino THEODOSIO SCHOEPPFERO, JCto famigeratissimo & Advocato Quedlinburgensi Dexterrimo, qui & editis in publicum Scriptis Nomen suum Exteris innotescere fecit, quemadmodum ab ipsomet emissæ nostram in notitiam venerunt: *Vitrico-Privignologia, Tract. de Jure Braxandi Tract. de Statu Viduit. mut. ut & Genitrice sexum muliebrem condecorantium virtutum decore exornatissima Fœmina, MARGARETHA Hottenschlebens. Avus in linea superiori fuit Vir Nobilissimus atque Ampliss. DN. JOACHIMUS SCHOEPPFERUS, Præfecturarum Sanders & Trecksleben quondam Præfectus; Avia verò Nobiliss. Virtuosissimaque Matrõna, BARBARA Sperls. Lineæ autem inferioris Avum percepimus ex-*

ititilè Nobiliff. ac Præstantiff. DN. CHRISTIANUM Hoitenschleben/
Metatorem quondam legionis Svecicæ; & Aviam, omni foemineo de-
core præfulgidam Fœminam, ANNAM Heidsfelds. Non refert ad
ulteriores adscendere Proavos atqve Majores, cum ipse Per-Illustris
SCHOEPFFERUS tanto effulserit eruditionis, meritorum in rem
literariam amplitudinis, ac celebritatis splendore, ut lumine non indi-
geret alieno. Alioquin enim ad *Proavum* Hans Schöpffer/ ut &
Abavum, JOH. JOACH. SCHOEPFFERUM, quin & reliquos Majo-
res ascendere, integrum foret, qui per integrum duorum Seculorum
decursum & ultra Hochstadium, Civitatem Ducatus Neoburgici, diri-
gentes, Consulari Senatoriâve dignitate claruerunt. Qvedlinbur-
gum, Civitas Saxonix inferioris, non solum ob HENRICI AUCU-
PIS, Imperatoris, quod ostentat, sepulchrum, sed, & fundatum
abs eomet ipso, Cœnobium Seculare, percelebris inclytaqve, na-
scentem nostrum Anno MDCLXI. d. 23. Novembris ulnis suis excep-
pit, exceptum enutrivit, nutritum educavit informavitqve. Jam in
tenerrimâ infantiâ plane eximia in ipso indoles animadvertēbatur,
& ingenium ad literarum Studia promptum aptumqve futurum.
Hinc igitur, quæ Parentum ejus providentia erat, infans adhuc,
quorum solertia fidelitasqve satis cognita & perspecta, Præceptorum
curæ committebatur, quicquid rudimentorum illorum industria in-
stillabat, avide hauriens & non alacriter solum, sed &, pro istius
ætatis ratione, satis feliciter. Adolescere cum incipiebat, eos jam
deprehendebatur fecisse in literis profectus, qui ad majora, sine præ-
cipitatione, at non sine magno sperato fructu, perducī posset. Tra-
debatur itaqve institutioni eorum, qui tunc temporis in publica
schola patria Qvedlinburgensi adolescentiæ formandæ adqve Studia
manuducendæ omnem suam operam gnaviter impendebant. Atqve
hos inter cum primis insuntam in se curam Rectoris, M. SAMUEL
SCHMIDII, Viri Clarissimi, ac ultra octo lustra de dicto Gymnasio
longe optime meriti, laudare solitus fuit. Etenim hic ille est, abs
quo ad Studia, quorum ab humanitate appellatio, manucebatur,
quique Philosophiæ præcepta sufficienter ipsi instillaverat, ut dignis-
simus judicatus fuerit, qui graviora Academica Studia cum fructu
aggredi valeret. Jactis debite fundamentis firmis solidi quid super-
strui potest, fundamento autem debili atqve infirmo, quicquid im-
ponitur, non nisi debile atqve infirmum evadet. Cujus â Genitore
ac Præceptoribus admonitus beatè Defunctus, omnem impendebat
operam, ut illis instructus Academiâs adiret, quorum ignorantia
Studiis maximo esse impedimento potest. Et in his indefessâ dili-
gentiâ, cui per omnem vitam adsvetus fuit, adeo profecerat, ut
Scholam patriam relicturus egregium specimen ederet, Oratione
Valedictoria de *Advocatorum Laude*, non sine sui ipsius, quam com-
merebatur, insigni laude, promptâ ex memoriâ recitatâ. Talem
igitur cum deprehendisset, quem maximæ sibi curæ habebat, Geni-
tor, ad florentissimam Academiâ Lipsiensem Anno MDCLXXIX.
eum amandabat, ubi per annum commoratus totum se torumqve
Themidos Sacris mancipabat, JCr̄is istius temporis celeberrimis sese
formandum tradens. Alliciebat autem non multo post eum illustris

B

Salanzæ

Salanæ Legumque in eâdem Interpretum splendescens gloria & fama, ut sequente mox anno MDCLXXX impetrato paterno consensu, Lipsiam cum Jena commutaverit, quod ceperat, jurisprudentiæ Studium altius evecturus. Verùm enim verò, non respondebat votis eventus, nec diu heic persistere, licet percipienti, licebat. Periculo enim non levi Jenensibus, ab ingruente peste, quæ jam corpus ejus adoriri ac infestare ceperat, imminente, circa finem ipsius anni patrios repetere lares cogebatur. Interea non otiosus domi sedebat, sed spatiosa Juris voluminaolvebat diligenter industrieque, doctissimi simul Parentis consiliis adjutus ac institutione gaudens. Etiam si vero nihil ipsi deesse videbatur, quod ad Studiorum continuationem ac culturam majorem requiri poterat; ut tamen majorem adhuc eruditionis thesaurum congerendi occasionem nancisceretur, aliam de novo Academiam visitare malebat, ne paternis tantum ædibus affvefactus videretur. Institutâ eum in finem consultatione, Christiano Albertina seu Kiloniensis Hassatorum inclyta Universitas ipsi quidem præ ceteris, ad quam se conferret, placebat: præferebatur tamen, quam Pater ei, procul dubio, ut eventus docuit, non sine Numinis directione, commendaverat, quamque tunc temporis magnum illud in cœlo Jctorum Academicorum sidus, Per-Illustris Du SAM. STRYKIUS mirifice illustrabat, Viadro vicina Francofurtana. Hanc suarum fortunarum matrem non immerito salutare habuit, quippe quæ & primum dignitatis Gradum & officium primum ipsi contulit, ad majora autem viam quasi paravit. Ingressus eandem fuit Mense quarto Anni MDCLXXXI Præceptoribus ibi usus laudato ante DN. STRYKIO cum primis, & DN. D. JOACH. HOPPIO, Viris immortalium in Jurisprudentiam meritorum famæque æternam duraturæ. Quantum autem tantorum Doctorum sub directione profecerit, sequentia tempora satis abunde testatum fecere. Agnoscens, eruditionem, quantalibet ea sit, nemini profuturam, ni aliorum in notitiam eandem venire fecerimus, è re suâ fore ratus est, publicis speciminibus explicare à Cœlo sibi concessas dotes, & doctrinæ multo sudore comparatæ pandere thesaurum. Anno igitur MDCLXXXII. m. Majo, Præsidio gavivus D. HOPPII, quem postea Gedanum Syndicatu primum, postremo & Consulatu dignatum fuit, Disputationem de Compensatione Fructuum cum Impensis publicæ submisit ventilationi. Quam cum feliciter eâque promptitudine defendisset, ut omnium mereretur applausum, eò faciliorem expertus est Ampliss. Facultatem Juridicam in se ad Gradus dignitatis ambiendos admittendo. Atque sic An. MDCLXXXIII. Juvenis duorum ultra viginti annorum examini rigoroso se stitit, in quo talem se exhibuit, qui Examinantium spei non solum satis faceret, sed expectationem superaret, unanimi omnium Facultati membrorum consensu dignus judicatus, quem summo Gradu ornarent, à quo Gradui vicissim magnum ornatum haud vanè augurabantur. Restabat tamen, ut in publico etiam examine isthunc honorem optime se meritum demonstraret: Quare conscriptam d-

Sucessione Prætoria hodiernam necessaria Inauguralem, ut dici solet, Dis-
sertationem d. 1. Novembr. ejusdem anni, Præside Excellentissimo
STRYKIO, mascule defendit, totius Auditorii cum approbatione
atque applausu. Et hujus quidem Disputationis in elaboratione jam
*tum eam prodidit ingenii *αριβειας*, ut non nisi egregia in posterum*
abs eodem expectanda essent. Namque vel solum ex hoc de præ-
stantiâ illius judicari poterit, quod digna fuerit habita, quæ Tracta-
tui Strykiano de Successione ab intestato inserta conspiceretur, hoc
optimo omnium modo conservanda uberiusque commendata. Su-
peratis ita, tam publico, quam privato, examinibus, à Parente
in Patriam revocabatur, & vocantem sequi paratus erat, partem cau-
sarum, quarum patrocinium ille agebat, in se suscepturus, subque
paterna directione Advocacionibus operam navaturus. At vero a-
liter supremo rerum nostrarum Rectori placebat, qui hunc Virum
Academiis inservituum volebat, quò tantò plus commodi ac boni
à dotibus largâ in eum manu collatis in publicum emanaret. Pro-
fessores namque Academici non uni duntaxat loco profunt, sed o-
mnes regiones, quarum filios instituere illis contingit, doctrinæ suæ
velut abundantiam ditant, omnium earum promovent bonum. Ta-
lis etiam occasio pluribus serviendi B. N. dabatur, quando sapius
*memoratus Illustri *STRYKIUS*, cujus à consiliis ac nutu tunc pene*
totus pendebat, svalor ipsi erat, ut Academicæ vitæ se consecraret,
initio decantatissimum Examen Institutionum Hoppianum Sacra
Themidos lustrare cupienti juventuti tradendo & explicando. Quod
negotium aggressus eâ industria & perspicuitate dictum librum ex-
planavit, ut paucis hebdomadibus vix absolutis, alia mox ab ipso
Collegia privata, præsertim Lectorio-Examinatoria, ut & Disputa-
toria ad Institutiones Justinianæ, qui egregia ejus, quæ donatus
erat, proponendi dona, promptitudinem, facilitatem atque solidi-
tatem agnoverant, desiderarent expeterentque. Quibus, admi-
randa promptitudine, eruditione & facundia propositis, non Au-
ditorum solummodo amorem atque existimationem promeruerat,
sed & doctiorum sibi conciliarat favorem, ut eò lubentius laudata
Facultas Juridica eum Licentiati Juris Utriusque Titulo pariter
*atque privilegiis, per Illustrem suum *STRYKIUM*, ornaret. Hoc,*
licet nondum supremo, Gradu renidens, prægressis speciminibus
specimina superaddere pigratus non est, quibus & extra isthanc
Academiam nominis quandam sibi famam compararet. Prostant,
*publicæ luci abs eomet expositæ Disputationes: *de Acceptatione Li-**
terarum, de Cessatione Legis Anastasiana, de Alimentis & Dote Fami-
**liarum Nobilium*: quarum istas Anno MDCLXXXIV. hanc in se-*
quente Anno publicæ ventilationi submitit. Cum igitur sive pri-
vatos intra parietes doceret, sive publicâ in Cathedrâ theses suas de-
fenderet, ubique ingenii, memoriæ, judicii atque solertiæ præsen-
tiâ ac promptitudine sese juvari sentiret, non diutius cunctatus to-
tum se totumque Academicis Studiis munerique docendi dicavit, imo
consecravit, quicquid vel dotium desuper acceperat, vel Doctrinæ

& habilitatis studiose sibi acqvisiverat, Academicæ juventutis, præsertim Juris Cultorum, commodo impensurus. Tam illustrium autem speciminum habitâ ratione, Jcti Francofurtani, quinimo integra Universitas eum Sereniss. ac Potentiss. Electori Brandenburgico, DN. FRIDERICO WILHELMO, glor. mem. quam fieri potest, optime commendaverant, ipsummet Professore atqve Collegam suum sibi expetentes, à quo Academicæ famam commodaqve haud leviter promotum iri confidebant. Fuitqve commendatio hæc eâ apud Principem efficacia, ut tanto sibi opere commendatum Anno MDCLXXXVII. ad Professorium munus, literis vocatoriis d. 14. Februarii datis, quam clementissime vocari mandaret, ita quidem, donec ordinaria quadam Professio vacaret, Extraordinarius initio Utr. Jur. Professor ut constitueretur. Quam Spartam d. 23. Aprilis aggressus t. li modo ornavit, ut de eo vicissim ornando honoribusqve majoribus maestando laudata Academia sollicita esset, certa quicquid ornamentorum in eum collatura esset, id in semet ipsam redundaturum. Quapropter Anno insequente MDCLXXXIX. per sapius, non sine honoris mentione, memoratum DN. STRYKIUM, Brabeutam & Promotorem Doctorali diademate eum, *de Pœnâ Furti ejusqve Justitiâ* perorantem, redimire dignata fuit. Quid tum autem Defunctus Noster? Non accedebat illis, qui, dum dignitatis, ad quam aspiraverant, gradum officiumqve consecuti sunt, non solummodo satis semet felices arbitrantur, sed &, desides facti, dignitatem otium sibi reputant attulisse, ac si nec Studiis amplius, nec laboribus in posterum habeant opus. Alia sane SCHOEPPFFERO mens, alius animus erat. Quanto sublimiores enim in ipsum collatæ dignitates, tantò plura sibi concredita rebatur Studiorum incitamenta, tantoqve uberiolem sibi impositam ducebat de Academicâ & Jurisprudentiâ bene merendi obligationem. Omnes in hoc convertebat cogitationes, omnes intendebat ingenii vires, ut solida Jurisprudentiæ fundamenta, viâ quidem compendiariâ, at tamen plana, quaqve fieri posset, perspicuitate studiosam juventutem doceret. Atqve de industria illius, cupidis Legum Cultoribus, imo univiersæ Academicæ demonstrata, testari possunt, abs eomet vel concriptæ, vel saltem publicis in conflictibus defensæ, de elegantioribus magnamqve partem sua se raritate commendantibus Juris materiis, inferius allegandæ Dissertationes. Cum primis autem famigeratum eum reddebat, quam juxta seriem Titulorum Juris in Pandectis servatam adornaverat, *Synopsis juris privati Romani & Forensis*, Anno 1690. primâ vice publicam in lucem emissa, eoqve cum applausu à Doctoribus pariter atqve Studiosis Juris Justinianeî excepta, ut à pluribus ferme, variis in Academiis, Collegiorum in Pandectas instituendorum fundamenti loco posita sit: unde jam aliquoties iteratam illius editionem curare, opus fuit necessariumqve. Tanta igitur illius merita non poterant, quin honestam ejusce famam auferent nominisqve conciliarent

ciliarent universam per Germaniam celebritatem. Eadem & fuerē,
ob quæ in Patriam nostram vocatus, & Academia huic donatus est,
quibus in posterum eruditionem, vires meritaque sua consecraret.
Evenerat nimirum, ut Anno superioris Seculi XCIII. Vir quondam
Præ-Nobiliss. ac Juris-Consultiss. B. DN. CHRISTOPHORUS RE-
DECKERUS, J. U. D. & Pand. Prof. Ducal. Publ. ut & Consistorii
Meckl. Consiliarius ac Adfessor, posteaquam per integrum decennium
de Academia nostra, quæ publice, quæ privatim, longe optime me-
ritus erat, ab Ampliss. Rostochiensis Senatu Consulatus sibi spartam,
abdicatâ Professione & Consistoriali munere, imponi pateretur,
ideoque abitus illius ex Universitate alio quodam idoneo Viro, qui
utriusque officio gravissimo gerendo esset, compensari, locusque va-
cuus relictus repleri deberet. Tunc ergo Serenissimus Princeps
atque Dominus, DN. GUSTAVUS ADOLPHUS, Dux quondam
Mecklenburgensium Regnans, beatiss. record. non eruditionis solum,
sed & eruditorum verus ac genuinus Cenfor, cujus ad aures per
ora virum volitans fama, insigniaque tum dona, tum eruditionis
specimina SCHOEPFFERI penetraverant, Academia suæ, quam
in oculis, ut sic dicam, pectoreque gestabat, haud melius consultum
iri rebatur, quam si hunc Virum, frugiferæ instar arboris, in suas
transplantari terras curaret, REDECKERO in muneribus successu-
rum. Quapropter vocatoriæ ad illum literæ mittuntur, quas
acceptare tantò minus dubitabat, quantò plus occasionis à DEO sibi
largiter concreditas dotes, duplici in officio, explicandi, deque pu-
blico bono bene merendi sibi datum iri, intelligebat. Quantumvis
enim animus ipsi non fuerat eam, cui & promotionem & primam
fortunam suam debebat, Academiam deserendi, comparatis jam sibi,
ad Wittebergensem è Francofurtana paulo antè vocati, Excellentissi-
mi STRYKII ædibus, ut fixum ibi domicilium suis constitueret;
agnoscens tamen divinum in illa novâ, quæ præter spem & exspe-
ctationem omnem ei venerat, vocatione nutum, vocanti audien-
tem se exhibere, & sequi, suarum esse partium rebatur, de tanti
doctorum Patroni ac Clementissimi Principis gratia securus. Impe-
tratâ igitur abs Potentiss. Electore Brandenburgico, Hero hætenus
suo, clementissima dimissione, valeque Francofurtensibus dicto,
Patriæ se nostræ committit ac officia sua pro virili præstanda offert,
urbem hanc dicto mox anno mensis Octobr. d. 3. cum Familia ingres-
sus, avidèque exceptus. Mox ab adventu suo & in Consistorium
Ducalè, Adfessor illius & Consiliarius, introducebatur, & in Colle-
gium Professorum Ducalium, membrum & Collega, recipiebatur.
Quibus peractis, Cathedram quoque Academicam occupavit, habito-
que, ceu minoris est, auspicali sermone d. 18. mensis ejusdem, initium
muneris Professorii publice fecit. Neque solus hic erat, quem annus
iste SCHOEPFFERO, jam tum nostro, afferebat honor. Nam &
Invictissimus Imperii Romano-Germanici Moderator, LEOPOL-
DUS I. Augustissimæ memoriæ Imperator, cujus ad aures eximie
illius dotes insigniaque merita pervenerant, præfulgidâ Comitiva
C S. Pala-

S. Palatii Cæsaræi eum clementissime donarat. Quibus in functionibus decenter ornandis quanto desudaverit opere, quam prompte, vigilanter, quam fideliter, dextreque functus sit officiis suis, magno testium confirmari numero posset, nisi tam manifestum sciremus, ut abs nemine quoquam, nisi temere admodum frustra, in dubium trahi queat. Nec ipsa, certus sum, in istis quod merito, quin aliqua tantum juris specie culpæ valeat, livida invenire invidia potest. Non dicam, quot ab eo, ceu Comite Palatino, creati sint Notarii, quorum non exiguus allegari numerus quiret. Quantum autem ad Professoris spartam, & qui eam obierit, vosmet compello, qui sive munerum jam nunc splendore conspicui, sive Graduum dignitate ornati, vel lites decidendo Judiciis præstis, vel docendo alios instituitis, vel causis Clientum patrocinamini, SCHOEPF. FERRO quondam Doctore usos. Edicitote, quid huic vestro Præceptori debeatis! Testemini, Vos rogo, vestrum namque testimonium cunctis fide dignissimum habebitur, quæ fide, industria solertiaque solidam ille Vobis Jurium scientiam non tam propinavit, quam instillarit, quanta sollicitudine, quæis curis ac vigiliis vestro invigilaverit commodo. Longum nimis foret, patientiamque fortassis Lectoris superaturum, omnia ab illo habita in omnibus Jurisprudentiæ partibus Collegia, uti dicuntur, sive Prælectiones, quibus potiore diei partem impendere solebat, enumerare. Quoties enim non integrum per Jurisprudentiæ orbem suos secum deduxit? Quot non peculiare instituit in singulas amplioris Juris Studii partes Scholas? Et quis ignorat, quam indefesso Studio Auditores suos nunc examinando, nunc disputando exercuerit, quod nihil prætermitteret, quod eos confirmatior reddere posse, non ignorabat. Haud tamen sola erat studiosa Jurium Juventus, quæ de præclare meritum se gloriari poterat, quin & FCtas nostra Juridica, imo & Academia ipsa nunquam illius eximiorum erga se meritorum obliviscetur. Utraque promptitudinem illius in operis aggrediendis, solertiam in expediendis, dexteritatem in exequendis, una cum vigilantia pro Jurium suorum conservatione perpetuâ pleno ore laudat & nunquam laudatura non est. Summam enim in eo semper positam voluit animi contentionem, ut utriusque commodum promotum iret ac incrementum. Admiratus fuit Juris Consultorum Ordo solertiam illius ac industriam, quotiescunque ad FCtatem nostram aliunde, responsis ejus aut sententiis petitis, Acta & Processus transmittentur, in iisdem perlegendis ac referendis, acumen item in fundamentis rerum argumentorumque ponderibus penetrandis & indicandis. Magni facere solitus fuit placita illius atque decisiones, siquidem nihil sine rationibus asseverare, nihil sine Lege definire consueverat. Decanatum, qui dicitur, FCtatis suæ, ut non sine ejus emolumento, ita non sine propria gloria laudeque, quatuordecim vicibus gessit. Qua occasione Candidatorum Juris eximiorum, maximam partem jam nunc Gradu partim, partim & functionibus honorificis corruscantium, examina rigo-
rosa,

rosa, ut petierant, adornare gravatus non fuit. Hoc namque nomine gratos erga eum se profitentur, secundum annorum seriem, ipsomet procurante, examinati. Anno 1697. DN. CORNEL. Verdundt / *Hamburgerf.* Anno 1698. DN. JOH. HENRIC. Funck / *Guelpherbytan.* Anno 1701. DN. JOH. FRIDER. OERTHLING, *Brunna-Magopolit.* hodie Serenissimi Ducis Mecklenb. Regn. Cancellariæ Justitiæ Consiliarius Fulgidiss. Eodem Anno DN. CONRAD. BERNHARD. Schwabe / *Sternberg. Mecklenb.* nunc Judiciorum Ducalium Advocatus & Procurator Ordin. Anno 1702. DN. HERMANN. ALBERT. SCHUCKMANNUS, *Gustroviens.* jam nunc Sereniss. Principis Viduæ, Dominae SOPHIÆ CHARLOTTÆ, conjugio Ducis Mecklenburg, natæ Landgaviæ Hassiæ &c. Consiliarius Aulicus Splendidiss. Anno 1703. DN. FRANC. ERNEST. Rohl / *Raceburg. Mecklenb.* nunc Cancellariæ & Consist. Ducal. Advocatus Ordin. Anno 1704. DN. JOH. CHRISTOPH. ATTELMAYER, *Uratislavia-Silesiu.* Camerae Civit. Rostoch. Secretarius Anno 1705. DN. DANIEL KOLSHORN, *Crosna-Silesius.* DN. BERNHARD. CAMPHOEVENER, *Apenradâ-Slewicensis.* Anno 1706. & ego ipse primum a B. examinatus fui, & deinde DN. JOACH. CHRISTOPH. TORNOW, *Gustroviens.* quondam in Cancellaria Advocatus & Procurator, jam functus. Anno 1707. DN. BRANDAN. FRIDER. KOEPCKEN, *Luneburg.* jam Universitatis nostræ Secretarius & Archivarius, ejusdemque Frater natus minor, DN. GEORG. WILHELM. KOEPCKEN, Cancellariæ Justit. ac Consistorii Ecclesiast. Advocatus Ordin. Anno 1709. DN. JOH. BARTHOLD. WEISE, *Hannoveranus.* DN. SIMON JOHAN. GUTZMER, *Sverinens.* in Patria Judicior. Ducal. Advocatus & Procurator, item & DN. HENR. TANCK, *Wismariens.* Advocatus in Patria Ordin. nec non DN. MARTIN. ALBERT. WILLEBRAND. *Rostoch.* hodie Jllustr. Dicafterii Provincial. Gustrovii Advocatus & Procurator Ord. Anno 1710. DN. GEORG. FRIDER. SIBRAND, *Stettin-Pomer.* Anno 1714. DN. JOH. HENRIC. WEISS, *Rostochiens.* hinc Cancellariæ Ducal. Procurator & Advocatus Ordin. Neque horum solum plurimi, quorum infra laudandæ venient Disputationes Inaugurales, sub Præsidio Schoepfferiano ventilatæ, sed & alii honori sibi hodiernum ducunt, abs tanto Jcto Doctoris Gradum, & cum Gradu honores atque Privilegia accepisse. Sunt autem ab eo, quantum vel recordari nobis, vel indagare licuit, in Doctores Jurium successive promoti, secundum annorum ordinisqve quo tum proclamati, seriem, citra cujuspiam hodierni Status ac prærogativarum præjudicium, hic memorandi. Nempe Anno 1701. DN. JOACH. HENR. SIBRANDUS, *Rostoch.* tum quidem Moral. Philos. Professor in hac Academia designatus, hodie vero Utr. Juris Prof. Publ. Ord. & nunc etiam FCtatis nostræ Senior Venerandus, qui jamdudum ante, Anno 1692. sub Præsidio Consultiss. Genitoris sui, B. DN. D. JOH. SIBRANDI,

C 2

Decre-

Decretal. P. P. & FCtatis suæ pariter atque totius Academiæ Senioris, Inauguralem Disputationem *de Sapientibus Extraneis* defenderat. Quo in actu simul jam laudatos, DN. Consiliar. OERTHLINGIUM & DN. SCHWABE Licentiatos renunciabat, qui vero triennio post, Anno 1714. ab eo ipso ad Doctoris etiam Gradum evehebantur. Accedebant tum præterea supra memoratus DN. Consiliar. Aul. SCHUCKMANN, item DN. CHRISTOPH. KNOEVENAGEL, *Gustroviens.* supremi Judicii Aul. & Provincial. Advocat. & Procurat. Ord, qui Anno 1703. Præsidi B. D. MATTH. STEINIO inauguraliter de *Avocatione Causa* disputarat; & DN. KOHL, ante jam dictus. Anno 1705. DN. DAN. KOLSHORN, etiam jam dictus. Anno 1707. DN. JACOB. Dörcks / *Gustroviens.* Ducal. Judicior Mecklenb. Civil & Eccles. Advocatus & Procurator Ordin. quem, Præsidio STEINIANO Usum, de *Matricula Imperii novissima consensu Imperatoris & Statuum confecta*, Inauguralem Disputationem Anno 1704. ventilare audivimus; DN. ALBERT. HEINSIUS, *Havnia-Danus*, qui An. 1704. Præsidi B. D. CASP. MATTHIA MULLERO, Disp. Inaug. de *Foro Legati Delinquentis* solenniter defenderat; DN. JOACH. CHRIST. TORNOVIUS, supra etiam dictus. Et hæc ipsa in Promotionis solennitate, in templo Mariano instituta, nobis simul etiam Doctoralem mitram manu B. Viri impositam grati recordamur. Præterea & An. 1710. Dn. D. GEORG. WILHELMO KOEPKEN, cujus itidem supra jam mentio facta, contulit Licentiati Jur. Promoti Titulum. Aliorum in Promotionibus Serenissimi Principis nostri, ut Academiæ suæ Cancellarii Magnificentissimi, Legatus Pro-Cancellarius Illustris supremum in Jure Gradum impertiendi & accipiendi licentiam, Ducis nomine, concessit, nominatim Dn. JOH. ADOLPH. Krohn / *Lubec.* postmodum Rostochiensium Syndico, nunc, sponte abdicato eo munere, in Patria degenti; Dn. GEORG. CASP. LINDENBERGIO, etiam *Lubecensi*; DN. JOH. CHRISTIAN Petersen / *Rostoch.* Decretal. apud nos Prof. Publ. & DN. JOH. PETR. Kraffen / *Gustr. Meckl.* Dicasterii Provincialis Advocato Ordin. Ex quibus igitur omnibus sole, cum meridiem tenet, clarius elucescit, totum in eo semper fuisse Beatum DN. SCHOEPFFERUM, illucque omnes intendisse animi vires, ut FCtati suæ prodesset, commoda ejus promoveret, fulgorem ei majorem conciliaret. Unde & ipsa mortuo quoque semet obstrictam profiteri non detrectat, nec debitis illi laudibus efferendis defutura est unquam. Cum ante hunc annum & bimestre, quod superat, spatium dolorosissimo sibi celebratissimi DN. STEINII, tanquam Senioris sui longe optimi de se promerti, obitu ea quam acerbissime affligeretur, id eam vicissim maxime consolabatur, quod ad SCHOEPFFERUM Senioratus devolveretur, quem suo bono deditissimum toties quoties cognoverat atque experta erat, inopinatum nunc illius casum tantò gravius ferens, quantò plura illius à dexteritate in se redundatura bona sibi promiserat, nedum exspectarat. Quod si

Quodsi jam porro in Academiæ totius corpus oculos conver-
timus, Illustris SCHOEPFFERI in eam merita lustraturi, tantus
eorum nobis obvenit cumulus, ut quid primum commemorandum
nobis sit, quid deinde, quid postea, quocum finis imponendus re-
censionem, dubii hæreamus. Sed juvat per transennam adspicere,
quæ propius intueri non licet. Qvis negare ausit, Professorum in-
dustriam Academiis splendorem afferre, famam conciliare atque ce-
lebritatem? Quid autem nostræ defuit Scholæ SCHOEPFFERO,
cum aliis famigeratissimis Viris, in eadem docente? Deprædicavi-
mus supra, & meritò quidem: nam DEI dona non sunt silentio in-
volvenda, *Tob. XII. 8.*; singulares, quibus instructus erat, docendi
dotes, quæ statim ac innotuerant, in hac non minus, ac in Viadrinâ
quondam Academiâ, magnum alliciebant atque frequentem illis frui
percupidorum Auditorum numerum, ut undiqve, sicut ad Acade-
miam nostram; ita ad Scholas Schœpfferianas confluerent Juris Cul-
tores. Nec intra privatos solum parietes continebatur velut inclusa
industria ejus nunquam unquam defessa, sed publice eam quoque
demonstrandi nullam prætermittebat occasionem, quid? quod quæ-
siverit, unde nascitur. Meminimus omnes, quam sæpe varia
que occasione publicam animaverit Cathedram nostram. Quanta
soliditate, quove ingenii acumine, quæ vel à semetipso, vel à Re-
spondentibus, aut Candidatis, publicæ ventilationi exponerentur,
theses defensitarit. Qua facundia oris Auditorium sæpe impleverit,
quotiescunque vel Magnifico Rectori Sceptra Academiæ capeissent
iterumque tradenti, vel Brabeutæ honorum Academicorum diribi-
tori, vel Pro-Cancellario Gradus conferendi facultatem concedenti,
verba publice facienda erant. Utque cum judicii subtilitate, raro
exemplo, excellens memoriæ felicitas in eo conjuncta erat, haud ra-
ro, sine scripturâ, promptâ ex memoriâ, de materiis non ex trivio
depromptis, non tam perorantem audivimus, quam verba funden-
tem. Etiam si nunquam alias prætermiserit, quod in salutem Uni-
versitatis à se præstari posse intelligebat, potissimum tamen, quoties
illius Regimen ipsi concreditum, id præcipuæ sibi curæ datum arbi-
trabatur, ut quæcunque justâ ratione fieri posset, totisque viribus
bonum ejus publicum in melius promoveret, privilegia illius omni
studio integra & illibata conservaret, verbo: id ageret, ut quem-
admodum ipse Academiæ obstrictus erat, sic Academiam sibi sem-
per magis devinciret magisque. Est equidem Rectorale munus de
se per amplum atque honorificum, attamen onerosum valde, curis ob-
septum, laboribus onustum, animum postulans indefatigabilem
prorsus. Noverat vero SCHOEPFFERUS, qua erat nunquam de-
lassatâ industriâ, miranda promptitudine, & excellenti dexteritate,
laboriosissima negotia expedire, didicerat implicatissimos nodos sol-
vere, & quicquid obveniebat difficultatis insuperabilis visæ superare
callebat. Tenuit autem Fasces Rectorales quintuplici vice, tempore
semper æstivo, eaque occasione in Jura & Statuta Academiæ quam ac-
curatè ac sollicitissime inquisivit, scrutinio illorum dies noctesque

D

impen-

impendens, quo factum, ut incomparabilem eorundem sibi notitiam compararit. Veteribus itidem, ubi litibus citius finiendis, aut publico bono tuendo promovendove conducere arbitratus fuerat, Rev. Concilii cum consensu superaddidit nova. Primum quidem Regimen Universitatis impositum ei fuit non multo post, quam huc accesserat, Concilio Academico Consiliarius datus, Anno videlicet 1694. secundum Anno 1701. tertium Anno 1707. Extraordinarie vero, loco Per-Illustris & Excellentissimi Viri, DN. JOHANN. de KLEIN, qui Consiliarius Intimus ac Cancellarius in Aula Sereniss. Principis tunc Sverini degebat, Anno 1710. Pro-Rector perpetuus abs Magnif. DN. RECTORE nominatus Noster, atque Rev. Concilio approbatus ac constitutus fuit. Postremo & Anno 1716. ordinarius ad eum iterum devolvebatur Rectoratus, quem autem ejus, in Aula Clementissimi nostri Principis Sverini absentis, loco gessit Pro-Rector Maxime Rever. Generosiss. atque Excellentiss. DN. ALB. JOACH. de KRA-CKEVITZ, S. S. Th. D & P. P. Celeberrimus, Consiliar. Consistorial. & Dioces. Mecklenb. Ecclesiarum Superattendens Vigilantiss. Fictatis suæ Senior Gravissimus, ubi tamen gravioribus in causis arduisque rebus Academiae Concilioque consiliis suis, quotiescunque poscerentur, nunquam defuit ipse Rector. Sed nec silentio prætermittendum est, præter Rectorale Academiae moderamen, sæpius etiam Defunctum Promotoris, (sic ordinarium atque perpetuum Rectoris Magnifici Assessorem, qui in Regimine Academicorum & jurisdictionis exercitio illi succurrat suaque opera & consilio adsit, appellare heic sivevimus) munus promptissime subivisse, eoque sustinuisse modo, ut, quorum intererat, nihil in ipso desiderarint, imo gratulati sibi fuerint, tam solertem habuisse Collegam. In reliquis item, quæ ambulatoria sunt, Academicis officiis gerendis, quibus, cum ex consilio Rever. Concilii in ipsum imponebantur, humeros nunquam subtraxit, intemerata fide, vigilantia nunquam defessa, dexteritate omnibus satisfaciende versatus est. Sive enim Communis Mensæ inspectio, sive Bibliothecæ Academicæ cura, sive Quæsturæ Administratio ipsi concrederetur, non promptè solum atque lubenter isthæc aggressus munia est, sed eum in modum obiit, ut Universitatis salutem publicumque bonum finem sibi ac scopum propositum habere intelligeretur. Sunt omnia hæc in aprico posita, adeoque omnibus nota, ut quidquam eorum negare piaculum foret. Audacissimum in fallendo esse oportet, quisquis hanc SCHOEPPFERO gloriam dublam facere ausit. Nihil hæc scribens affectui do, nec est adulationi apud me locus. Nam nec omnis defectus expertem, aut ab omnibus nævis immunem eum pronuncio, non ignorans, hominem eum fuisse: labi autem, errare, deficere humanum est, quod à se alienum nullus reputare poterit, quisquis humanam se naturam non exuisse, in semetipso agnoscit. Divinitus tantum in eum largissima manū collatas dotes, ceu fas est, prædico, quibus detrahere, næ, impietas foret, inque datorem earum, Benignissimum Numen, injuria minimè levis. Quin eâ hæc conscientia pariter ac confidentia

tiâ scripserim, ut ad omnes rerum Academicarum Statusque nostri
gnaros, sive bene voluerint Defuncto sive male, tuto provocare au-
sim. Testentur ipsimet, velim, numnè talem in SCHOEPPFFERO
Professorem nacta olim fuerit, nuperrime autem amiserit Illustris
Mecklenburgi Schola, quales sibi plures, imò omnes dari optaret?
Prodeat ipse livor, altâque exclamet voce, quid in Professorio illius
munere, quatenus per alia eodem fungi licuit, jure potuerit deside-
rari? Judicet igitur, quemcunque justè citraque affectum judicandi
facultas non destituit, ane obitum illius deplorandi causâ habeamus
plus satis? Et ane promeritus sit ut quam optime, cujus, publice pa-
rentando, memoriam commendare adque posteros propagare obstricti-
simus? Quid vero multis? Namq; verbis non opus esse judicatur, ubi re-
rum testimonia adsunt. Eum certe se gesserat hactenus SCHOEPPF-
FERUS in Academicis suis functionibus obeundis, quem altius
evahendum, pluribusque officiis admovendum judicaret ipse Sere-
nissimus Princeps. Collaudent solertiam illius in extricandis &
expediendis Causis Consistorialibus, qui ipsimet interfuerunt, super-
stites ipsius Collegæ. Deprædicent Ecclesiæ harum terrarum soli-
citudinem ejus in juribus earum ac privilegiis, ne quâ parte detri-
mentum paterentur, factis tectis servandis atqve tuendis. Nobis
commemorandum ulterius est, tam magna, tamqve insignia Viri
merita, (ut enim ipsa neminem latebant, ita nec merentem latere
permittebant) ipsi Serenissimo Principi ac Domino, DN. FRI-
DERICO WILHELMO, Duci Regenti Mecklenb. p. m. Domino
quondam nostro Clementissimo, laudata ac commendata esse, unde
vires suas pluribus negotiis applicandi occasio ipsi enata fuit dataque.
Nam Anno MDCCVII, laudatissimus Princeps eum Consiliarium
Justitiæ nominabat, ac Cancellariæ hac in urbe præficiebat Vice-Di-
rectorem. Sic igitur muneribus munera, honor honoribus, sed
& onera oneribus, laboribusque labor super addebantur. Fas
enim erat, tot tantaque prægressa in Scholam & publicam rem
merita remunerari. Quid? quod ipsa Reipublicæ salus id postulet
flagitetque. Quemadmodum enim, loquor verbis LIMNÆI Lib. IIX.
Jur Publ. Cap. 8. Reipublicæ interest, ne delicta maneant impunita; ita et-
iam ejus interest, ne bene merita incorpensata abeant. Est enim honor
dulcissimus cibus, quo nutritur virtus. Ea nimirum indoles atqve in-
genii humani conditio est, ut, nisi præmiis subinde ad præclara
facinora excitetur, satietate quasi langvescat. Et ipsa virtus in-
compensata tandem marcescit. Verissimè OVIDIUS L. II, de Pont,
Eleg. 3. canit:

*Inse decor recti facti, si præmia desint,
Non movet, & gratis pœnitet esse probum.*

Cui consonat ULPIANUS noster L. I. §. 1. ff. de J. & J. bonos non
solum metu pœnarum, verum etiam præmiorum quoque exhortatione ef-
fici, pronuncians. Luculentum eorum præbebat SCHOEPPFFE-
RUS noster exemplum. Collatos sibi novos honores sic impende-
bat;

bat, ut quivis intelligerent, majori eisdem de Patriæ nostræ publicâ re bene merendi incitamento ipsi fuisse. Quo plus oneris honos iste secum ferebat, eò majori animi contentione & alacritate negotiorum molem aggrediebatur, summâ in illis circumspeditione atque prudentiâ progressus, mirâ solertiâ & promptitudine ea absolvens.

Quemadmodum autem eximiæ dotes, quæ Virum ornant, Possessorem suum late & tantum non ubique commendant; ita non intra solos terrarum Mecklenburgicarum fines SCHOEPPFERI hætenus nostri fama velut inclusa continebatur, quin longe lateque eadem se circumfuderit. Quò præstantiores sunt res, eò plurius æstimantur, & quò majori in pretio habentur, eò magis sibi easdem habere quisquis percipit, & acquirere annititur. Exemplum iterum producemus hunc Virum Illustrẽ, cujus excellentia dona magnum eum fecerant, magni abs omnibus factum. Cimbrica cum primis, quæ Kilonii floret, Academia tantum Doctorem Almæ nostræ invidere videbatur, quem ad se pertraheret, omnem lapidem movens. Anno nimirum MDCCXXII. abs Serenissimo illius Nutritore, Duce Sleswici & Holsatiæ, hinc illuc evocabatur, Primarius Ampliff. Facultatis Juridicæ Professor, ac Principis Confiliarius Justitiæ in Judicio Provinciali futurus. Nec declinabat hanc vocationem, quæ nomen ejus celebrius adhuc reddere poterat, splendore tanto majore Jure-Consultorum in cælo effulsurum. Media circiter ætas erat, cum hinc abiret, Holsaticam Illustrẽ Scholam suâ doctrinâ posthac illustraturus, dimissus quidem à Principe nostro, at non sine omni eum repetendi intentione, ut non donatus Holsatis, sed commodatus videretur. Quem autem ipsemet isti se Academiæ Virum præstiterit, conjecta non difficile his esse, reor, qui eum Rostochiensẽ antè Professorem viderunt noveruntque. Utrumque cui destinatus erat, munus, præviâ, pro more in Judicium Provinciale pariter & Academiã Introductione, consveta sibi alacritate ac promptitudine ornare cepit. Decanatum Facultatis suæ laudabiliter gerens Jure-Consultorum Ordini decus & ornamentum conciliavit solenni Promotione, DN. MICH. HENR. CURTIO, *Gastrovion-Megapolis*. Gryphiswaldiæ nunc domicilium habenti, prægressa Disputatione Inaugurali, inferius in Catalogo Scriptorum recensendâ, Doctoris Jur. Utr. Titulum, honores ac privilegia conferendo. Et nè quid honorum Academicorum ipsi deesset, Anni MDCCXIV. vere ineunte Magnifici Pro-Rectoris munus: est enim, vi primæ foundationis, istius Academiæ perpetuus Rector ipse Serenissimus Princeps; Sceptraque Academica ei committebantur, eo ipse quidem tempore, cum à Cimbris repetendus nobisque restituendus erat, ut isthoc regimine diu perfungi non licuerit.

Scilicet, nondum, quæ abhinc discedens vacare fecerat, officiis alii præfecti erant, indicio non obscuro, animum Serenissimo Principi nostro eummet revocandi fuisse. Atque ita se habuisse, testata res est. Nam altero statim ab illius abitu anno altè

memo-

memoratus Sereniss. Dux atqve Dominus DN. FRIDERICUS
WILHELMUS glor. rec. de eo retrahendo cogitationes susceperat,
hocqve suum propositum ipsi significari clementissime jusserat;
Sed interveniens Optimi Principis præmatura mors moram affe-
rebat, quo minus in effectum istud negotium tum duduceretur.
Cum autem Serenissimus Princeps atque Dominus, DN. CARO-
LUS LEOPOLDUS, Dux Mecklenburgi hodie Regnans, Domi-
nus noster Clementissimus, terrarum suarum Regimen Anno
MDCCXIII. auspiciò adierat, mox insequente Anno MDCCXIV.
SCHOEPFFERUM, cujus eruditionem ac merita olim Academia
præstita sibi commendata habebat, revocatum voluit. Qvi non
cunctatus, oblatas sibi iterum & auctas functiones, qua decet sub-
missione, acceptabat, Mecklenburgo se quam obstrictissimum agno-
scens. Verno igitur dicti Anni tempore ad nos reversus mox, singu-
lari Principis Clementissimi erga eum ex gratia, per omnia restitu-
tus, pristinum Statum recepit, ita quidem, ut sine prægressâ itera-
tâ Introductione, ac si nunquam abfuisset, quem ante tenuerat in
Concilio, Facultate, ceterisque Academicis Collegiis, locum occupa-
ret. Ab eo tempore inde honoribus semper auctum eummet dice-
res, sed juxta etiam laboribus magis magisque onustum. Nam onus
comitem honos habere solet. In Academia rursus docendi spartam
adorus est, institutis studiosæ juventutis scientiæ Legum percupi-
dæ in gratiam Prælectionibus Juridicis in Institutiones Imperato-
ris nostri Justiniani. Quantumlibet autem iisdem, ob ingentem
accumulatorum negotiorum &, quos reliqua officia poscebant, labo-
rum concatenatorum molera, non semper ex lubitu ac voto vacare
licuerit; nullam tamen, qua Universitatis rebus prodesse posset, oc-
casionem prætermisit. Decanatu F. Ctatis nostræ dexterrime functus
est, ac nisi absentem eum esse oportuisset, ipsemet, ceu supra com-
memoravimus, totius Academiae Regimen in se suscepisset. Quan-
tum ad Cancellariam Justitiæ, cui olim dirigendæ Vice - Directoris
Titulo præfuerat, nunc ipse præficietur Director, quam autori-
tatem & prærogativam etiam in Consistorio Ducali sequentis anni
initium ei asseribat. Cognoverat interea ipse Serenissimus Prin-
ceps ac Herus noster, quantæ in SCHOEPFFERO dotes eminent, æstimabat
intemeratam erga se fidem illius, suspiciebat animum
laboribus nunquam succumbentem. Quæ remuneraturus, utqve
simul consiliis ejus operaqve, quotiescunqve necessaria judicabantur,
promptius uti posset, tali eum officio donandum censuit, ut semper suæ
Serenitati præsto esse deberet, ipsimet vero majus accresceret digni-
tatis atqve honoris incrementum. Hinc non solum Regimini ter-
rarum, quæ Duci nostro parent, admovebatur, sed & Consiliario-
rum Intimorum numerum augere jubebatur, absens in Illustre illud
Collegium Sverini receptus d. 17. Mensis Decembris Anni ad finem
inclinantis MDCCXV. Quanto majori splendore præfulgent hæ
functiones, tanto plus laborum imponunt, quæ illis defungi datum:
quo eminentiores sunt, eò majori curarum cumulo accumulata.

E

Qvan-

Quantumcunqve autem fuerit, quicquid eorum erat, Per-Illustri tamen SCHOEPPFFERO, sibi semper constanti, nunquam nimium fuit, utpote curis nunquam defatigato, nunquam vigiliis delassato, nunquam de laborum multitudine conqvesto. Atque hinc SCHOEPPFFERUM nostrum, & donorum à DEO abundanter ipsi concessorum excellentiâ, & munerum dignitatumque abs Serenissimo Duce in eum collatorum eminentiâ, & eruditionis doctrinæque comparatæ famâ, & laborum ac meritorum gloriâ, Illustrem planè vereque Excellentem agnoscimus & profitemur Virum fuisse.

Quò autem uberius posteritati constet, quantum Virum non nostra solum Academia, sed universus Literatorum, speciatim Juris-Consultorum, orbis amiserit, amisso Excellentissimo SCHOEPPFFERO, Scriptorum ejus Catalogum inferemus. Quod si enim ex fructu arbores æstimantur, & ex progenie de Genitoribus judicium fieri, insolitum non est: quidnî ingeniorum etiam ex lætu & monumentis Viros, à quibus eadem profecta fuere, & præsertim eruditionem eorummet agnoscere liceret? Equidem, si suum cuilibet pretium accurate ponendum foret, mererentur Schœpfferianæ eruditionis opes, uberes certè ac æstimatione dignissimæ, pleniore verborum apparatu recenseri: Ast quoniam prolixitas in eo nobis vitanda, & Programmatis mensura excedenda non est, idcirco, variarum Decisionum, Consiliorum ac Responsorum, Ampliss. FCtatis nomine conceptorum, nulla mentione facta, editorum tantum ab ipso Indicem, memoriam eorum conservaturi, contexuisse satis ducemus. Et quanquam nos non fugiat, primorum ab illo in lucem emissorum operum, ad eam usque tempestatem, recensione aliquam jam legi in *Novis Literar. Maris Balt. & Septentrion. Anno 1. seu MDCXCIX. Mens. Jun. p. 86.* ubi præcipue in Academia Viadrina edita visuntur; & *Rostochio Literato Habichhorstiano loc. cit. p. 132. 133.* ubi & priora Varniacæ nostræ istis adduntur; haud tamen ingratum Lecturis fore speramus, si & illa heic commemoremus, quò omnia unâ in serie ipsius conspectui exhibita sistantur. Sit itaque

SCRIPTORUM SCHOEPPFERIANORUM SYLLABUS.

S*ynopsis Juris Privati Romani, & Forensis, in
Squâ solida Jurisprudentiæ Fundamenta, ex
ipsis Textibus, & in Praxi celeberrimis Docto-
ribus recentioribus excerpta & delibata; brevi-
ter*

ter & perspicue, juxta Digestorum Ordinem disposita exhibentur. Edit. prima *Francofurt. ad Viadr.* 1692. secunda, aucta & emendata, *ibid* 1702. tertia, auctior & emendatior, *ibid.* 1713. quarta, à Dn. DAN. KOLSHORNIO, J. V. D. adeò aucta, ut hocce opus *Systema Corporis Juris Theoretico-Practicum Universale* exhibeat, *Francofurt. & Lips.* 1717. Prostant etiam in eandem *Annotationes* Per-Illustris & Excellentiss. Viri, Dn. JOH. de KLEIN, publici juris factæ & auctæ à Dn. CASP. MATTH. MULLERO, D. & P. P. *Rostoch. & Lips.* 1706.

Exercitationes XX. Privato-Publicæ ad omnes Digestorum Libros, in unum Fasciculum congestæ, quas Anno 1698. & seqv. successivè in Auditorio domestico ventilandas exercitio quorundam Jurisprudentiæ Cultorum suppeditavit.

Disputationes Publicæ secundum Annorum seriem ordine recensitæ,
& quidem

I. FRANCOFURTENSES.

Anno 1682. De *Compensatione Fructuum cum Impensis.*
Præside Dn. D. JOACHIMO HOPPIO.

Anno 1683. Inaug. De *Successione Prætoria hodiernum necessaria.* Præside D. SAMUELE STRYKIO, quam Præsidis Tractatui *de Successione ab intestato* insertam supra diximus.

Anno 1684. De *Literarum Acceptatione*, von Annehmung der Briefe/Respondente, Christiano Hertelio, *Rummelsburg. Pomer.*

De *Cessatione Legis Anastasianæ.* Respond. Jon Sam. Quedectel *Hallens. Sax.*

Anno 1685. De *Alimentis & Dote Familiarum Nobilium.* Resp. Joh. Georg. de Freiberg, *Equ. Anhalt.*

Anno 1687. De *Sumtibus Studiorum.* Resp. Daniel. Merck/ *Hala-Saxon.*

Anno 1688. De *Dispensatione Matrimoniali.* Resp. Christoph Henr. Schult/ *Hannov.*

Anno 1689. De *Juvenum Virginum Privilegiis.* vom Jung. Gesellen-Recht/ Resp. Joh. Henr. Schütz/ *Hannov.*
E 2 Anno

Anno 1690. De *Foro Studiosi Delinquentis*. Resp.
Leonhard. Erhard / *Smaicald.*

De *hodiernâ Ludorum Justitiâ*. Resp. Franc.
Theod. Schade / *Dresd. Mis.*

Anno 1691. De *Atramento*. Resp. Christian. Frider. Runtsch.
Lips.

II. ROSTOCHIENSES.

Anno 1696. De *Hæmorrhagia Vulneratorum*, von
Verblutung der Verwundeten. Resp. Leonhard. Georg. von
Stötteroggen / Patricio Nobil. Lunenburg.

Anno 1698. De *Usu fructu*. Resp. Joh. Henr. Funcken / *Guelph.*

De *Restitutione in integrum*. Resp. Joh. Henr.
Schnittler / Rostoch.

De *Partu Octomestri*. Resp. Joh. Henr. Funcken /
Guelpherbytan.

De *Milite Desertore*. Resp. Jacob. Henr. Zerneke,
Thorun. Pruss.

Anno 1699. De *Usu & Abusu Elenchi Ecclesiastici
ejusque Præmiis & Pænis*. Resp. Georg. Adam.
Schleusing / Lusat.

De *Egregiarum Personarum Privilegio
circa Juramenta*. Resp. Gustav. Adolph.
von der Lübe / *Eqv. Megapolit.*

Anno 1701. *Meditationes Juridicæ occasione Inscri-
ptionis Proæmio Institutionum præmissæ*.
Resp. Jens Christoph. von Lebsien / *Eqv. Mecklenburg.*

De *Officio Præfecti Castellî, ad extrema
obligati*, Germanis vulgo: Der sich wehren soll
biß auff den letzten Mann / oder biß auff den letzten
Blute-Tropffen. Resp. Arnold. Henning. Arends /
Tundera-Holsat.

Anno 1702. De *Aperturæ Regali*. Resp. Conrad. Detl. de
Plesse, *Eqv. Mecklenb.* quæ speciatim ex eo memorabilis est,
quod ejus ventilationem in Auditorio maximo auscultare
Serenissimus Regnans Dux atqve Dominus, DN. FRI-
DERICUS WILHELMUS, illiusqve Frater, Sere-
nissimus Princeps, Dominus CHRISTIANUS LUDO-
VICUS, Duces Mecklenb. cum primâ vice hanc urbem
ingressi erant, clementissimè non dedignati fuerunt.

Anno

Anno 1703. De Quæstione : *An Commeatu falso uti liceat ad fallendum Hostem ?* Resp. Martin. Albert. Willebrandt / *Rostoch.*

Anno 1705. De *Pulmone Infantis natante vel submergente.* Resp. Joh. Joach. Jörck / *Wismariens.* hodiè Civit. Rostoch. Syndic.

De *Jure Principis circa Adespota.*

Resp. Jerem. Steyr. *Lesnens.*

De *Periculosa Conceptione Instrumenti.*

Resp. J. Jürgensen / *Tund. Holsat.*

Anno 1709. De *Culpa lata Ministri Status.* Resp. Christian Joachim. Baldovio, *Stada-Bremens.*

De *Matrimonio per Substitutum contrahendo.* Resp. Balt. Frider. de Katte, *Eqv. Bremens.*

De *Matrimonio per Substitutum contracto.*

Resp. Frider. Ver Mehren, *Mecklenb.*

Quibus potro jungendæ sunt, quarum defensionè Præsidio suo præfuit, etiam juxta annorum seriem, absque cujusquam præjudicio, referendæ,

III. DISPUTATIONES INAUGURALES.

Anno 1698. De *Necessitate Consensus Paterni in Nuptiis Liberorum.* Cand. Cornel. Verdunck, *Hamburg.*

Anno 1701. Prob : *In Nummis non Substantiam, sed Quantitatem attendendam esse.* Cand. Joh. Frider. Oerthlingio, *Bruna-Megapolit.*

De *Diffessione Instrumentorum*, Germanis vulgo: von Verleugnung der Hand und Siegel. Cand. Conrad Bernh. Schwabe, *Sternberga-Mecklenb.*

Anno 1702. De *Repetendo Testium Examine.*

Cand. Herman. Alb. Schuckman, *Gustr. Mecklenburg.*

Anno 1704. De *Juramento Judiciali, sine Probationibus delato.* Cand. Franc. Ernest. Kohl, *Rasceburg. Mecklenburg.*

De *Reprobatione.* Cand. Joh. Christoph. Uttelmeyer, *Vratislav. Siles.*

Anno 1705. De *Declaratione Sententiæ Dubiæ.*

Cand. Daniel. Kolshorn, *Crosna-Siles.*

F

De

- De *Declaratione Honoris*, vulgò von der Ehren-Erklärung. Cand. Burch. Camphöener, *Apenrada-Cimber*.
- Anno 1707. De *Præludiv Torturæ*. Cand. me Jacob. Carmon, *Rostoch*.
- De *Falsa Ratione Decidendi*. Cand. Joachim. Christoph. Tornow, *Guströv. Mecklenb.*
- Anno 1709. De *Jure Civili Jus Naturæ determinante circa Personas*. Cand. Joh. Barthold. Weise, *Hannover*.
- De *Verbis Honoris*, vulgò von Complimenten. Cand. Mart. Alb. Willebrandt, *Rostoch*.
- De *Gemellis concretis*. Cand. Simon. Joh. Gutzmer, *Sverin. Megapolis*.
- De *Culpa lata Tutoris ab Hæredibus præstanda*. Cand. Henr. Tanck, *Wisnar*.
- Anno 1710. De *Advocato injuriante*. Cand. Georg. Wilhelm. Kœpke, *Lüneburg*.
- De *Pignorationibus*. Cand. Georg. Frid. Sibrand, *Stettin. Pomer*.
- Anno 1713. De *Vulgari Regula Juris: Emptor præfertur Conductori*, s. Rauff geht vor Miethe / ex L. 9. *Cod. de Loc. & Cond. Kilonii hab.* Cand. Michael. Henr. Curtio, *Guströv. Mecklenb.*

Et hæc quidem sunt, quatenus nostram in notitiam venere, exactissimi ingenii Schœpfferiani planè amussitata documenta, quæ de meritis illius in Rempublicam Literariam & olim testari possunt. Nec enim Professori satis arbitrabatur esse, unius Academiæ intra limites eruditionem suam ac dona desuper concessa terminari; sed & Exteros eorum, meditationum atque scriptionum communicatione, participes facere, conveniens judicabat. Hacque ratione non vivens solum de Jurisprudentiâ quam optimè meritus fuit, sed etiam nunc, mortuus licet, Scriptis suis, quæ post se reliquit, benè meretur, imò & de posteris in posterum merebitur. Ita Professoris partes publicè non minus atque privatim profitendo implevit, non solo Titulo contentus, sed reipsâ eum se exhibens, qui audiebat. Quod Apostolus Ecclesiæ præsertim Ministros, *Rom. XII. 7* jubet, id etiam sibi, ut omninò omnes qualibet in functione deberent, dictum reputabat, ejusque non in Professorio solum, sed aliis quoque mu-

ner

neribus, quæ concredita ipsi Principis ex gratiâ erant, omnibus observantissimus fuit, noctes non minus ac dies laborum copiâ impendens. Unde, vel me tacente, abundè agnosci potest, quantum amiserimus Virum, quamque pretiosum & æstimabilem præstantissimorum donorum thesaurum unâ cum illo nobis oblatum, doleamus ac conqveramur. Justa igitur doloris causa nobis est, meritò Academia luget, Facultas Juridica, ceu fas est, contristatur, & Jurisprudentia ipsa tanti Doctoris funus cum gemitu lacrymisque mœsta prosequitur.

Vidimus, *HONORATISSIME LECTOR!* hæcenus *SCHOEPFERUM* nostrum, sed quid nostrum dico? superis jam adscriptum, feliciter olim prognatum, probè educatum, fideliter institutum, de re literaria bene merentem, vario honorum munerumque genere ornatum, illustri dignitate auctum, Principumque gratiâ splendide coruscum. Ne autem prætermisuri quidquam videamur, quod ad integritatem Biographiæ requiri solet, ut aliis etiam observatum deprehendimus, oculi jam nunc in Domum etiam atque Familiam illius, sanè fulgidissimam florentissimamque, convertendi erunt. Cum, uti supra relatum, Francofurtum & Gradu Doctorali eum condecoraverat, & Professore constituerat, de propria sibi domo formandâ cogitationes fuscipere incepit. Implorato igitur primi ac primarii Status conjugalis Auctoris, *DEI*, consilio auxilioque, & impetrato, cujus necessitatem in nuptiis liberorum ipsemet postea defendit, consensu paterno, ambiit non solum, sed exambiit quoque castissimos conjugii amores tunc Virginis optimarum sexum sequiorem mirificè ornantium virtutum splendore maximè conspicuæ, Præ-Nobilissimæ *CATHARINÆ ELISABETHÆ von Mitthoffen*. Erat illa ex illustri summæque dignitatis profapiâ oriunda, tres justâ serie, quod omninò memorabile, ducimus, Cancellarios numerans, à quibus descendebat. *Patrem* videlicet *HECTOREM JOHANNEM de MITTHOFF*, Cancellarium Reverendiss. ac Sereniss. Abbatissæ Quedlinburgensis, juxtaque Illustriss. Celsissimique Comitum Stolbergensis Consiliarium. *Avum* *DANIELEM de MITTHOFF*, Sereniss. quondam Ducis Mecklenb. Sverinens. Cancellarium. *Proavum* item *HECTOREM de MITTHOFF*, duorum Sereniss. Ducum Saxo-Lauenburg. Domini *FRANCISCI* primùm, deinde & Filii ejus atque Successoris, Domini *AUGUSTI*, Cancellarium, eundemque Comitem Palatinum Cæsareum & Equitem Auratum. Matrem autem illius, quæ postremò eam Genitori, nempe d. 31. Januar. Anni *MDCLXXIV.* pepererat, fuisse percepimus Præ-Nobiliss. maximisque virtutibus condecoratissimam Matronam, *ANNAM Schollen*. Hanc suam impensè amatam *MITHOFIAM*, consummatis Quedlinburgi nuptiis confirmatisque sacerdotali benedictione, Francofurtum secum abductam, in domum suam deducebat,

Anno currente nonagesimo Seculi superioris. Quemadmodum exoptatum hocce conjugium; ita benedictum, felix, pacatum atque jucundum fuit. Concordia inter Conjuges viguit omni ex parte, ac constantissime concors, ut reconciliari secum invicem nunquam habuerint opus. Nec videbatur matrimonii hujus felicitas bonorum confluxu affluentior ac locupletior reddi posse. Ipse finis matrimoniorum adeo huic Conjugum amantissimorum pari non defuit, ut potius desideria eorum lætâ prolis fecunditate explerit. Novem nimirum lætus Noster ex adamata hac suâ Conjuge prognatos liberos excepit, tres masculini, sex autem fœminei sexus. Filii quidem per DEI gratiam superstites sunt omnes: Primogenitus, **HECTOR THEODOSIUS**, Anno 1695. d. 11. Maji in hanc lucem editus, qui, Progenitorem suum feliciter æmulatus, in Celeberrima Frisiorum Academia, quæ est Franeqveræ, hujus ipsius Anni mense Majo, præviâ Inaugurali Disputatione, *continente aliquot Theses nobiliores desumptas e Titulo Digestorum de Pactis*, d. 3. dicti mensis, absque Præside, ut ibi moris est, habitâ, abs Famigeratissimo Jcto, Dn. D. **JOH. ORTWINO WESTENBERGIO**, Prof. Publ. Titulam, honores, Jura & privilegia Doctoris Utr. Jur. non sine merito encomioque impetravit. Secundo genitus, Patri homonymus, **JOHANNES JOACHIMUS**, mundum ingressus d. 13. Julii Anno 1699. Hamburgi nunc degens, Mercaturæ & Negotiationibus sese applicaturus. Natu postremus, optimæ indolis puer, **CONRADUS JUSTUS**, Anno 1706. d. 13. Julii exclusus, literis, ceu dicuntur, humanioribus operam gnaviter navando, largam de se spem præbens. Filiarum dimidiâ partem Cœlum ante Parentes ad se retraxit, tres autem ex benignissima primi Auctoris vitæ voluntate vitali adhuc aurâ vescuntur, amantissimi Parentis casum acerbissimarum lacrymarum imbribus descentes. Sunt illæ, Fœmina Præ-Nobiliss. summarumque virtutum, prudentiæ ac honestatis laude celebratissima, **SOPHIA DOROTHEA**, eopse non anno solum & mense, sed die etiam, nempe 18. Octobris Anni 1693. quo Parens illius, ad Professionem publicè introductus, prima vice Cathedram nostram occupaverat, utero Matris egressa, ut adeo idem tempus & Defuncto, cum munere, honoris, & Domui lætitiæ gaudiorumque attulerit incrementum. Ea ipsa est, quæ felicibus auspiciis elapso retrò quadriennio, Sacerdote d. 13. Octobris Anni 1695. manum novis nuptis imponente, in matrimonium data Viro Præ-Nobiliss. Consultiss. ac Prudentiss. Dn. **JOHANNI GUSTAVO STORCHIO**, J. U. D. Dicasterii Provincial. Procuratori Fisci & Advocato Ordin. nec non Consuli Güstroviensium. Peperit illa Parenti suo dulce gratumque Avi nomen duobus ex se procreatis nepotibus, **JOHANNES JOACHIMO**, & **JOHANNES GUSTAVO STORCHIS**. Quorum hic: sic enim inversum jam ordinem & nobis invertere licebit; Anno 1717. d. 29. Julii mundum ingressus, vix annum vivendo

exce.
rum
latior
rit, si
diffin
duar
istu
ren
RI
aut
lud
dno
sua
pelle
nis in
foret,
quar
rillia
inlum
divin
dum
dat
FE
tur
læt
lisq
riat
CIV
mult
form
ua
pro
tan

excedens, d. 14. Octobr. superioris Anni, egressus ex eodem ite-
rum est. Ille vero, d. 3. Augusti Anno 1716. editus, in dulce so-
latium Parentum superstat, qvi, ut Avi nomen sibi impositum ge-
rit, sic eum olim referat, DEus Altissimus, educationi ipsius affluen-
tissimam benedictionem largiendo, faxit, vovemus. Præter istam &
duæ Virgines supersunt, ætate non magis ac magno virtutum sexum
istum condecorantium pariter atqve commendantium apparatu flo-
rentissimæ, ANNA MARGARETHA, & ELISABETHA CATHA-
RINA, quarum prior Anno 1696. mensis Octobr. d. 11. postero-
autem eodem ejusdem mensis die, sexennio post, Anno 1702. fe-
lici partu editæ, hac in luce vivere ceperunt. Cujus suæ sobolis rer
etiam & accuratam in educationem, ceu Parentum erga progeniem
suam officium est, quò DEo serviret proximoqve olim prodesse
posset, quantum curarum, sollicitudinis, ac circumspectæ attentio-
nis impenderit, multis eqvidem laudum encomiis describendum
foret, quâ autem opera supersedere me posse, perſualus sum, tan-
quam re omnibus totiqve urbi comperta, & de quâ testis locuple-
tissima, experientia ipsa, quam abundantissimè testatur. Et hanc
insumptam in semet curam paternam ipsi non secus ac probos &
divinitus promissam, quarto Decalogi præcepto annexam, benedi-
ctionem sibi exspectantes liberos decet, agnoverè ac venerati sunt-
illius, quâ fas est, mentis gratitudine per omnem vitam recor-
daturi.

Adeò Per-Illustrem DN. Consiliarium Intimum SCHOEPF.
FERUM huc usqve vario cœlestium benedictionum genere bea-
tum vidimus, omnia in florentissimâ illius Domo prospera, fausta
lætâqve observavimus: attamen cogitandum etiam est, quantum qua-
lisque fuerit ipse, quanta bonorum, non rivuli, sed flumina ei affluxerint,
hominem tamen eundem fuisse. Hominem cum dico, intelligitis,
CIVES! eam me intelligere creaturam, quæ præ ceteris ferè omnibus
multiplici casuum varietati obnoxia existit. Ecquis enim morta-
lium est, qui nihil unquam adversi senserit vivens, aut de perpe-
tuâ, sine interruptione, felicitate gloriari queat? Ipsa hoc divina
providentia dirigit, ut ne semper ex voto omnia nobis fluant. Haud
enim semper benè nobis est, si semper benè. Non solum id Chri-
stiana nos Religio docet, sed & prudentiores Ethnicos sic judicasse,
deprehendimus. Is, quem inter Gentiles Christianum, inter Chri-
stianos verò Gentilem dicere solent, SENECAM puto, egregium
virtutum humanarum formatorem, optimè de eo arbitratus est,
Lib. de Provid. Cap. 5. Nihil profecto, scribens, mihi videtur infelicis
eo, cui nihil unquam evenit adversi. Non licuit illi, se experiri. Etenim
adversa sunt, quæ animum ad DEum revocant, & quibus virtus,
fides ac constancia nostra exploratur. Qui autem omnis infeli-
citatibus, ut nos reputamus, aut adversorum ignari existunt, facile à
virtutis semitâ deflectendi occasionem arripere solent. Sic igitur,
vicif-

vicissitudines rerum nostrarum dari, utile, proficuum, & suo modo salutare nobis est. Felicitatem adversitatibus, læta tristibus, dulcia amaris, jucunda acerbis permisceri ac velut temperari, nativæ imbecillitatis humanæ conditio quasi postulare videtur. Adeo nec Schœpfferiana Domus ab iis, quæ dolorem asserre luctumque possunt, immunis planè potuit existere. Non dicam nunc de obitu Parentum Defuncti, quando Matre dulcissimâ Anno 1689. cœlebs adhuc, inopinatâ morte orbatus fuit; Patrem autem, à quo non vitam solum acceperat, verum etiam, ut benè recteque vivere posset, edoctus erat, ipsâ canitie venerabilem & Senem octogenario majorem, Anno 1711. d. 6. Febr. amisit. Licet enim & hanc à DEO assecutus gratiam fuerit, quod potuerit eòusque Parentum suorum operâ consiliisque frui, dum ipse jam rebus suis præesse valebat, imò ex parte dudum jam Patrem familias egerit, ut inde facilis isthoc in casu solatium admittendum videretur, nullum tamen penes me dubium est, non fore filium probum, cui, quid beneficiorum ab illis in se quondam profectum, alta mente repositum manserit, qui non Progenitorum suorum, quocumque demum tempore ille contingat, decellum luctu ac doloris affectu sit prosequuturus. Quod si tamen, ut communi sermone tritum proverbium habet: amorem non tam ascendere, quam descendere; verum est, colligendum hinc erit, quantum ipsi, ceu Parenti, tristitiæ attulerint, quæ à se procreatis filiabus parare habuit, funera præmatura. Nam, ut EURIPIDES alicubi:

*Gravis ante alios, gravis ille dolor
Nescit gemitus satiare suos,
Quoties lugent erepta sibi
Pignora matres.*

Dixerim etiam Patres. Et certe; Noster pie Defunctus, ceu notum, queis ejus in Familia familiaris versari concessum, quam ægerrimè tulit, tam cito sibi eripi, quas non ex sanguine solum suo sulcitaverat, sed de quibus etiam optima quæque sive sperare poterat, sive ominari. Trigæ autem deploravit lectissimarum Natarum, partim tenerrima in infantia, partim optimo ætatis in flore, obitum immaturum. Et præcipue quidem incredibili eum dolore affectit excessus primogenitæ suæ, CHRISTINÆ DOROTHEÆ, quam ob raras ejus ætatis virtutes, non in oculis, sed pectore gestabat. Nata erat illa Francofurti, Anno 1691. d. 24. Decembr. sed d. 8. Junii, Anno 1704. tertio supra decimum ætatis anno Rostochii denata. Cujus in laudem multa fari possemus, siquidem nulli eâ ætate secunda existit, plurimas virtute superans, & prudentia rei que familiaris scientia annos antevertens, ni præstantiæ suæ laudatorem in Programmate funebri, cum ossa ejus sepelirentur, habuisset magnum illud Academiæ nostræ &

& inextinguibile lumen ; B. DN. D. FECHTIUM, ea ætate ma-
gnificum Universitatis Rectorem. Præter istam extinctas etiam
luxit infantem lepidissimam, CATHARINAM ELISABETHAM,
Anno 1700. d. 5. Augusti mensis exclusam, sed insequente mox
anno, antequam integrum vivendo anni spatium compleset, post-
eaquam tamen & finiti Seculi finem & inchoantis initium atti-
gerat, decedentem ; ut & DOROTHEAM CHRISTINAM,
d. 7. Martii Anno 1709. mundum hunc ingressam, ast Anno 1710.
d. 2. April. ex eodem iterum egressam, variolis ei vivendi impo-
nentibus finem. Sed nondum satis funerum domesticorum erat,
quia longe gravius restaret, imo gravissimum, & animum,
si non penitus dejicere, vehementissimè tamen concute-
re aptum. Nam & dulcissimæ maritæ, quâ cum in
vicesimum tertium usque annum jucundissimè suavissimeque vixe-
rat, cum nonum illa supra trigesimum ætatis annum ageret, ex-
tinctæ, Anno 1713. apud Hofatos Kilonii tum degentem tristes pa-
rare exequias oportuit. Quantopere casus ille eum afflixerit,
nemo judicaverit rectius, quam qui ipsimet similia experti fata fu-
erunt. Dolebat noster, tam cito jugale vinculum ruptum, quod
in longum durare optarat. Deflebat decenter obitum Sociæ,
quâcum sine querela vixerat, & sine qua in posterum vivere
molestum, acerbum ac tædiosum ducebat. Ecquid enim ma-
rito flebile magis contingere poterat, quam uxore carissima
amatissimaque, unico, dum vixerat, animæ suæ suavissimo de-
licio, privari? Forte vel ex eo magnitudo, quem illius ex ab-
itu conceperat, luctus constantiaque agnosci potest, quod ab ea
jus excessu, sine susceptis de iterando conjugio cogitationibus, vi-
duum continuo maluit premere lectum. Neque vero sic satis
mœroris luctusque causarum fuit. Quæ & Nepotuli natu secun-
di, infantis mellitissimi, JOHANNIS GUSTAVI STORCHII, ob-
itu insperato, ut supra diximus, haud leviter augebantur. Ve-
rum enim verò, quantumcunque dolorum multiplicata illa Suo-
rum sibi charissimorum funera ipsi attulerint, quamlibet eosdem
intimis etiam sensibus persenserit; erant tamen causæ illorum ex-
tra proprium corpus constitutæ. Hoc autem tantum abest ut om-
ni malorum sensu caruerit, ut pene sedem in illo defixerint su-
am. Etenim continuæ lucubrationes seriæque meditationes, queis
vel à juventute adseruet, & inde ab initio publici docendi mune-
ris, nunc Lectionibus præmeditandis, nunc in Publici bonum evul-
gandis Scriptis elaborandis, occupatus fuit, quasque deinde va-
ria, eaque gravissima pariter ac difficillima, munera postula-
bant, non vires solum detriverant, sed & malorum pepere-
rant non exiguum confluxum. Jam altero, cum Varniacæ no-
stræ Academiæ datus erat, anno, nimirum 1695. cum gravissimo
morbo conflictandum ipsi erat, ex quo reconvalescendi non su-
pererat, nisi admodum tenuis, spes. Attamen, Cælo medica-

minibus

minibus desuper clementissimè benedicente, cum omnis jam spes decollata videbatur, & Suis tandem restitutus est, & Orbi Literario, non sinè minori Academiæ, quam Familiæ gaudio atque emolumento. Interimcaussario semper abinde corpore fuit, adeò ut beata illius Conjux verita nunquam non fuerit, ne præmaturâ morte spe votisque suis citius eum sit amissura. Sed Numinis hæc cuncta dirigentis cogitationes non semper nostris respondent. Quem illa metuerat se derelicturum, eum dereliquit ipsa. Qui, crescente ætate, corporis infirmitatem non decremента capere persensit, sed incrementa. Præsertim novissimis hisce annis, muneribus onera, honoribusque labores multiplicantibus, vires sensim sensimque debilitari atque deficere animadvertit, adeò ut vel minimum tam frigoris, quam caloris excessum summo devitare studio, ne quid periculi corpori interret, habuerit opus. Qualem corporis sui constitutionem agnoscens, de proximè instante vitæ suæ fine, deque beatâ ex hoc mundo emigratione non semel, sed iterum sæpiusque cum Suis colloquia miscuit, exspectans, cum DEo visum, animæ ex hoc corporis ergastulo liberationem.

Et hæc tandem ipsa nos vocat, de qua paucis, prout accepimus, dicamus. Concesserat pie Defunctus noster DN. Consiliarius Intimus SCHOEPPFERUS ineunte Anni MDCCXIX. Vere in Saxoniam superiorem ad Suos, quorum conversatione atque colloquiis frequentius utebatur. Cum primis autem Islebiæ, loco, quem sua nativitate Lutherus sat clarum fecit notumque, apud Fratrem suum, Virum plurimum Reverendum atque Ampliss. DN. M. JUSTUM SCHOEPPFERUM, Ecclesiæ Christo ibi collectæ Pastorem meritissimum & Consistorii Assessorem, diutius per æstatem superiorem commoratus fuit, novissima sua, quæ sibi proxime instare præsagiebat, assidue meditatus, diligentique Sacrarum Scripturarum lectioni vacans. Mundi enim ac mundanorum cum eum pertæsum esset, ad supramundana suas convertit cogitationes, haustis ex divino Codice contra mortem ejusque nuncium, continuam fere ægritudinem, quæ esse possunt, optimis pharmacis. Testari hoc ipsum potest, quo, abs Affine suo, DN. Consiliario Aulico von Söhlen / memoriæ ergo accepto, veluti Manuali usus fuit, exemplar Novi Testamenti, utpote quod diligentissime ac sæpius perlegit, ita quidem, ut præcipua dicta, quæ sibi applicaverat, quæque de gratia divina certum eum reddere atque convincere poterant, lineolis subductis notarit. Quandoquidem autem, ægritudine majores subinde vires capiente, suas sensim vires deficere animadvertit, campestria sæpe vicina loca frequentavit, quo liberiori aère frui posset. Eâ etiam intentione Amicorum quendam invisendi gratia profectus fuerat, illius ut conversatione per aliquantum temporis uteretur. Inde vero fraternam domum

domum repetens in via Altstadium, duobus circiter miliaribus Islebia distans, usque pervenerat, ubi, vesperâ jam appropinquante, apoplexiâ subito corripitur, quæ vivendi ei finem fecit. Postquam enim, animo aliquantum ad se redeunte, DEO, abs quo eam acceperat, animam suam commendaverat, placide sineque omni propemodum mortis sensu, circa horam sextam vespertinam d. 12. mensis Septembr. Anni MDCCXIX. expiravit, transactis in hac mortali vita Annis quinquaginta septem decemque Mensibus, cum diebus bis septem. Corpus exanime, curante Laudato mox ejus Fratrem, Altstadio Islebiâ translatum funerali pompa, tantorum meritorum gloria munerumque ac dignitatum splendore præfulgentem Virum decente, cohonestatum, ac christiano ritu terræ, omnium matri, concreditum est. Atque sic ille, ad quam omnibus contendendum est, jamjam obtigit metam. *Tota namque vita, SENECA Consol. ad Polyb. Cap. 30. vere dicente, nihil aliud est, quam ad mortem iter. Quisquis enim ad vitam editus, ad mortem destinatur.*

Verum enim vero, quantumvis illi, quam adeptus nunc est, requiem merito gratulemur; est tamen, ut & Academiæ nostræ, quin universo Literatorum, ac speciatim Juris Consultorum Ordini, & superstiti Defuncti Familiæ condoleamus. Quod enim utrinque amissum, non parum, nec exiguum est. Deplorat Academia Doctorem excellentissimum, deplorat Familia benevolentissimum maximeque providum Patrem, ut hæsitent, utriusnam magis dolenda sint fata. Utrique interim, vovemus, in posterum prospiciat, qui cuncta hæc moderatur atque gubernat, ter Optimus terque Maximus DEUS.

Sed ad Vos memet converto, CIVES ACADEMICI O. O. HONORATISSIMI! Audivistis, ut reor, quantum sufficit, Perillustrem DN. SCHOEPFFERUM tanta huic Varniacæ Musarum fedi, tanta literato Orbi, tanta Jurisprudentiæ ipsi merita præstitisse, quæ immarcescibilem ipsi famam gloriamque nunquam perituram paravere. Non ergo dubito, quin & Vosmet illius tum obitum defleturi, tum gratam semper conservaturi memoriâ sitis. Et enim, dum alibi locorum, ceu percipistis, peractæ jam sunt ceremoniæ exequiales, ut, deductum funus comitando, quod ultimum est humanitatis officium, cineribus ejus exhibere non licuerit, nihil nobis superest quidquam, quam ut, memoriâ illius subinde renovando, reputemus, qualem quantumque in SCHOEPFFERO Virum amiserimus, bene ipsius requiei, sic enim Christianismus jubet, bene Academiæ nostræ, bene superstiti Familiæ precantes.

Quod reliquum est, commemoratio mortis SCHOEPFFERI nostram nobis in memoriâ revocet mortalitatem, quo viventes

tes mori discamus, ne moriamur, vivere cum desinimus. Novimus, morti nos omnes obnoxios esse, quo autem tempore hinc eadem evocatura nos sit, ut quam minime novimus. Venit illa subito, non expectatâ nostrâ invitatione. Appositè nescio quis Christianus Poëta, & experientiæ propemodum quotidianæ quam maxime conformiter ejus nos admonitos voluit, de vitæ nostræ fugacitate morteque ex improvise sæpe advolante conquestus:

" Ecce, sumus pulvis, sumus, ecce, miserrima
" tellus.

" Et nostri fugiunt, ut levis aura, dies.

" Carpimur, ut stipulæ rapido carpuntur ab
" igni,

" Nec nisi, vivendo, somnus & umbra
" sumus.

" Scilicet ex illâ, quâ primum nascimur, horâ

" Prorepunt, juncto, vitæ quæ morsque, pede:

" Nascentes rapimur, nec retro flectere
" cursum,

" Aut spatium emensum vitæ iterare
" datur.

" Non, tibi vivacem, furor est, spondere
" senectam?

" Cum non sit vitæ certa vel hora tuæ?

Est hoc fere ipsum, quod Jure Consultus noster PAULUS l. 35. S. 4. ff. de Mort. Caus. Donat. scribit: Terra marique, tam in pace, quam in bello, & tam domi, quam militia, multis generibus mortis periculum metui potest. Quæ cum ita sint, ut sent omnino, sic vivamus, Christianos decet, ac si quovis die, ecquid vero diem dico? ac si omni horâ, imò singulis momentis moriendum nobis & hinc emigrandum sit.

Mors certa est, incerta dies, hora agnita
nulli:

Extremam quare quamlibet esse puta.

Sed sapientibus pauca:


VALETE!

P.P. Sub Sigillo Reſtorali Academico
Anno MDCCXIX.




Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



LBMV Schwerin 33
000 184 241





m porro in Academiæ totius corpus oculos conver-
 ustris SCHOEPPFERI in eam merita lustraturi, tantus
 bis obvenit cumulus, ut quid primum commemorandum
 quid deinde, quid postea, quocum finis imponendus
 dubii hæreamus. Sed juvat per transennam adspicere,
 ius intueri non licet. Quis negare auit, Professorum in
 Academiis splendorem afferre, famam conciliare atque ce-
 n? Quid autem nostræ defuit Scholæ SCHOEPPFEERO,
 famigeratissimis Viris, in eadem docente? Deprædicavi-
 a, & meritò quidem: nam DEI dona non sunt silentio in-
 , *Tob. XII. 8.*; singulares, quibus instructus erat, docendi
 e statim ac innotuerant, in hac non minus, ac in Viadrinâ
 Academiâ, magnum alliciebant atque frequentem illis frui
 rum numerum, ut undiqve, sicut ad Acade-
 Scholas Schœppferianas confluerent Juris Cul-
 vatos solum parietes continebatur velut inclusa
 am unquam defessa, sed publice eam quoque
 prætermittebat occasionem, quid? quod quæ-
 retur. Meminimus omnes, quam sæpe varia-
 m animaverit Cathedram nostram. Quanta
 nii acumine, quæ vel à semetipso, vel à Re-
 ndidatis, publicæ ventilationi exponebantur,
 ia facundia oris Auditorium sæpe impleverit,
 gnifico Rectori Sceptra Academiæ capessenti
 el Brabeutæ honorum Academicorum diribi-
 tio Gradus conferendi facultatem concedenti,
 a erant. Utque cum iudicii subtilitate, raro
 memoriæ felicitas in eo conjuncta erat, haud ra-
 romptâ ex memoriâ, de materiis non ex trivio
 perorantem audivimus, quam verba funden-
 am alias prætermiserit, quod in salutem Uni-
 posse intelligebat, potissimum tamen, quoties
 creditum, id præcipuæ sibi curæ datum arbi-
 ue justâ ratione fieri posset, totisque viribus
 in melius promoveret, privilegia illius omni-
 ta conservaret, verbo: id ageret, ut quem-
 niæ obstrictus erat, sic Academiam sibi sem-
 magisque. Est equidem Rectorale munus de-
 onorificum, attamen onerosum valde, curis ob-
 nustum, animum postulans indefatigabilem.
 ro SCHOEPPFERUS, qua erat nunquam de-
 nda promptitudine, & excellenti dexteritate,
 expedire, didicerat implicatissimos nodos sol-
 eniebat difficultatis insuperabilis visæ superare
 m Fasces Rectorales quintuplici vice, tempore
 occasione in Jura & Statuta Academiæ quam ac-
 inquisivit, scrutinio illorum dies noctesque
 D
 impen-

